



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De præscriptionibus. Consilium CXLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

potest, l. Namus & ibi Doct. De in litem iuran. Alexan. conf. 141. Viso themate nu. 3. vol. 5. Alciatus conf. 320. Breviter causa nu. 3. quod proculdubio in priore iudicio specificè sic minimè petitorum ac probatum, causam sententiæ & condemnationem actoris, atque sic erroris & iniquitatis (respectu partis, non iudicis) dedit; quod non est æquum in caput & damnum eorum, qui in lite non fuerunt, recidere. Ex quibus si non satis liquidò convincitur hanc, quæ obijcitur, rem iudicatam huic liti non obitare (quod tamen probabiliter existimamus) hoc saltem obtinere debet in obscuro & ambiguo esse num obesse debeat, propter circumstantias concurrentes superius propositas: quod ipsum sufficit ad resiciendam, repellendamque hanc exceptionem;

8. **I** ob id quod, in dubio & obscuro potius constitui debeat rem iudicatam non obesse: quasi in eo minus præjudicii, minus iniquitatis latentis lateat, oblata iterum occasione jus cuiusque partis amplius exactiusque discutiendi. arg. l. 1. in C. si quis cautionib. nec. d. conf. 445. Socini. nepos conf. 49. Inspecu huic qua nu. 27. vol. 2. Omnem sanè difficultatem discuit quod in articulo hujus exceptionis impetrata sit restitutio integri adversus rem iudicatam ex capite dætarum minorennum prolium

9. **D.** Caroli: * quin enim adversus rem iudicatam minor restitui possit, dubitationem non habet in C. si advers. rem iudic. etiam si sententia lata sit ab eo qui vicem Principis gerit l. 1. d. adversus in fin. C. si advers. rem iud. Mathæus de Affili. decis. 316. Fuit dubitatum numero 4. hoc præsertim casu quo etiam consideratio nullitatis dictæ sententiæ, concurrebat respectu minorum, quod eorum nomine expresse ac specificè causa non sit defensa; Ita ut effectus illius ad illos porrigi non debeat l. cum & minores C. si advers. rem iudic. & non tam sit restitutio adversus sententiam, quam adversus factum Ioannis Baptistæ quo litem suo solius nomine peregit, ne scilicet effectus sententiæ quæ alias adversus unum ex socijs lata consocio nocere posset, hic non noceat minoribus, * Cujus restitutionis sic obtentæ effectus deinde etiam ad alios socios quamvis majores redundare videtur: nam licet in communi & eadem causa restitutio minori concessa, majori consorti litis regulariter non prosit l. 1. C. si in communi ead. causa. prodest tamen in individujs & connexis, & ubi inter consortes est conjunctio ac societas, damnaque emergentia communia sunt: ut in specie non absimili decisum fuisse in sacro Neapolitano Concilio tradidit Mathæus de affili. decis. 213. Ioan. Maurinus De restitut. c. 188. ita ut plurimum interesse videatur inter consortes litis tantum, & consortes socios, inter quos damna & lucra plerumque sunt communia Paul. Castrenf. conf. 448. in princ. vol. 1. Quibus attentis existimamus in hoc incidenti articulo secundum impetrans iudicandum.

De præscriptionibus.

S V M M A R I U M.

Præscriptio immemoralis temporis.

1. Precarium semper revocabile.
2. Præscriptio & consuetudo immemoralis vim tituli habet.

3. Possessionis immemoralis effectus.
4. Possessionis immemoralis quomodo probetur.
5. Registra quando credendum.
6. Probationes per coniecturas admittuntur in antiquis.
7. Solutionis immemoralis & alienatio facit causam solutionis præsumptam.
8. Nomina rerum ex usu magis quam appellatione accipiendæ.
9. Verba curanda non sunt quando constat de mente.
10. Precaria exactio unde dicta.
11. Testimonia inter alios quando alijs obfunt.
12. Florenorum appellatio non semper continetur minores.
13. Indefinita aequipellet universali.

CONSILIVM CXLV.

IN causa quæ per reductionem à sententia arbitratorum introducta pendet coram Venerabili Domino Officiali Leod. inter Burgimagos ac communitatem oppidi de Peer, originales Reos reducentes; & strenuum Virum Dominum Conradum à Gaveren Equitem, Dominum de Peer Actorem, quamvis de multis disceptatum, sit pauca tamen sunt circa quæ versatur totius causæ decisio: videlicet illa tantum, quæ reducentes pro causis gravaminum adversus sententiam arbitralem allegant. Primum quod condemnari non deberint in precaria præstatione septennali. Secundò quod ad maiorem ac graviozem monetam condemnati sunt, quam debebant. Et tertio quod in sententia non sint expressa & specificata privilegia ac libertates ad quorum conservationem Actor in effectu condemnatus exiit. Quibus tribus capitibus discussis nulla relinquetur dubitatio ob obscuritas in hac causa. Primum igitur articulum arripientes dicimus iustam esse condemnationem prædictam. * Nam licet Rei nunc reducentes multum urgeant nomen hujus collectæ seu exactionis, quod precarij nomine appellatur, ideoque in obligationem & necessitatem præstationis non cadat, cum precarium ad nutum sit revocabile, l. 1. l. Interdictum cum l. seq. de precario & ex liberalitate præstitum aliquot annis, quamvis soluti repetitionem impediat, in futurum tamen ad continuandum non astringat cyn. in l. Voluntaria nu. 7. C. de excus. tut. cum de præstationis titulo ac causa obligatoria non constat Doct. in l. Solent. De off. præf. & leg. canonice in cap. Pervenit de censibus. re tamen propius expensa nihil est quod in proposito Domino Actori obesse possit. * Et 2. primò quidem ex eo quod Actor sese hic fundet in præscriptione tanti temporis cujus initij nulla extat memoria: quæ tanti temporis præscriptio & consuetudo vim tituli legitime constituti & privilegij habet c. 1. de præscrip. lib. 6. l. Hoc iure. §. ductus aque. de aqua quorid. & ast. c. Super quibusdam §. præterea de verbor. sign. * tantumque potest 3. quantum Imperator seu Princeps cum causa Andr. De Isernia in c. 1. verb. flumina publica Quæ sint regalia in usuf. feud. facitque ut quæ per se impræscriptibilia sint, præscribi possint; veluti Regalia aut Principi reservata etiam si præscriptio Ecclesiæ onerosa esset, Bald. in c. 1. vers. quæro quanto tempore Qui feud. dare pos. rota decis. 841. Virum valeat consuetudo, alias est 11. tit. De consuetud. in antiquis. Eaque ratione potest Episcopus onera extraordinaria seu indi-

indicta ex tali consuetudine à suis subditis exigere ac recipere, ut ex facto consuetus respondit Panormitanus, *consil. 26. Videretur primo nu. 4. vol. 2.* Ita ut in hujus generis prescriptione non sit necesse querere aut probare de actibus, à quibus originem habuit hujusmodi consuetudo, *Oldrad. consil. 254. quia tota*; satisque sit probari actus, quibus per hominum memoriam ita fuit observatum, etiam si hæc præstatio, præsertim quia annua non est sed septennalis, discontinuam causam habere videatur, *Bart. in l. 1. c. De mulier. in quo loco. lib. 10. Doct. in l. Serpentes 4. De servit. nam & in ijs, quæ discontinuam causam habent, tanti temporis spatium ad prescriptionem sufficit: post. in d. l. Serpentes*; & præterea discontinuam causam habent jura realia, non item personalia, in quibus cadit possessio, vel quasi, quando ius aliquod debetur à persona personæ: hujusmodi enim possessio, vel quasi dicitur continua propter animum personæ, cui ius debetur, quæ persona continue retinet possessionem animo, *Bart. in l. lasto §. non nunc de usucap. Caus. consil. 444. In causa quæ convertitur inter communitatem n. 3. in fin. vol. 1.* Ita quod sustineri posset, minore etiam tempore prescriptionem hujusmodi juris absolvi posse. Cum itaque D. Actor per diversos testes eoque atate provectos probaverit, non extare memoriam, quin singulis septennijs hujusmodi exactio sit Dominis de Peer soluta, quodque nunquam audiverint aut viderint, aliter fuisse factum, *Oldrad. consil. 172. Quia omnes, Alex. consil. 16. In causa & lite nu. 16. vol. 5.* nihil dubitandum est, quin intentio Domini Actoris sit fundata. Quibus testium depositionibus plena fides adhibenda est, non obstantibus exceptionibus per partem adversam, tam ex persona, quam alijunde obiectis: potissimum quod testium depositiones plurimum adjuvantur per extracta librorum ex Registris monasterij, quod in oppido de Peer situm est, ex quo constat dictum monasterium ante annos septuaginta hanc septennalem exactiorem casu illius occurrente continue solvisse. Quibus registris fides accommodari debet, alijs saltem ad minus concurrentibus, *l. Rationes & ibi Doct. C. De probat. propterea quod ea scriptura nihil agat de commodo, sed de præjudicio ejusdem monasterij, & satis antiqua sit, relin. in c. 2. De fide instrum. last. in l. Admonendi nu. 77. in fine de iureiur. nec ulla suspitione falsitatis aut simulationis laboret*; ita quod inde saltem vehemens præsumptio, & semiplena probatio confici debeat; præcipue in re antiqua, de qua cum agitur, admitti debent probationes per coniecturas & indicia, *Bald. in l. Cum super Cod. De rei vindic. Potissimum in re proposita, in qua difficultatem probationis ultra tempus per Actorem liquide probatum faciunt incendia, quibus per bellicam hostilitatem omnia publica & privata in oppido de Peer conflagraverunt: ita ut non satis idonea sit Reorum allegatio, quod in suis scrinijs & archivis nulla inveniant instrumenta, de perpetua confessione, initio, atque conservatione hujus exactiōnis*; Quæ quidem tanti temporis ratione ac consideratione cessante, adhuc inconcussa stare & revocationi Reorum minime obnoxia esse de-

Consil. Wamsl. Tom. I.

bet hæc præstatio, tam quoad præteriti temporis, de quo quaritur, pensiones, quam quoad futuram continuationem: qui ex actis satis constat, & Rei utrumque præsupponunt, hanc præstationem initium habuisse ex causa defensionis & conservationis privilegiorum incolarum oppidi de Peer, ex qua causa & secundum eam facta solutio informis dici non potest, sed causata & uniformis. Quæ solutionis uniformitas & continuatio facit causæ veritatem presumi, etiam si aliter de ea non constet; sufficitque hoc casu etiam longissimi temporis, imò, ut plerique putant, decem annorum prescriptio, *Petr. Ancharan. in d. c. Pervenit nu. 4. saluo. in l. si certis annis sub fin. c. De pact. Molin. in tract. De contract. usur. quest. 20.* Neque his adversatur quod Rei proponunt, Actorem ex parte sua non satisfecisse, hoc est defensionem ac conservationem præmissam non exhibuisse: nam nullam illius adferunt sufficientem probationem per exempla alicujus oppressionis aut contraventionis. Quod vero Rei ex nomine hujus exactiōnis argumentantur, quasi precaria sit, & ex lubito subditorum dependeat, per se satis momenti hinc non habet. Primo ex eo quod nomen rei ex usu potius quam appllatione accipiendum sit; sic quod, quamvis rerum vocabula appellativa sint certa & immutabilia, *l. si quis in fundi De leg. 1. ex usu tamen & communi modo loquendi (qui attendi debet l. Labeo, vers. nec mirum. De suppel. legata) à nativo sensu recedunt. Doct. in d. l. si quis in fundi & potissimum adiectiva, si de re constet: adiectiva enim se habent ad instar demonstrationis, last. in d. l. si quis in fundi in fin. cujus falsitas rei, de qua agitur, naturam non immutat, l. falsa demonstratio De cond. & demonstr. ** Secundo, quod de verbis nihil curandum sit, quando constat de re ac mente eorum, de quorum re agitur; & potius ubique inspicitur id, quod in rei substantia est, quam in nomine, *Bald. & alij in l. Testamentum C. De testam. ne per abusionem nominis rei substantia vitietur vel confundatur, l. Insulam & ibi Barol. De prescript. verb. Tertiò, quod & alium alterius generis precarium censum seu redditum ex Dominio de Peer Actor percipiat, quæ constat, Reis etiam confidentibus, perpetuum & irrevocabilem esse; unde ad differentiam hujus minoris precariæ exactiōnis, hæc, de qua nunc controvertitur, appellatur in prædictis registris prædicti monasterij *de groote herde*/ hoc est magna precaria; sic ut datâ instantiâ satis confundatur argumentum, quod ex vocis proprietate de lucitur; * Quarto, quod origine rei inspecta nihil veter hanc exactiōnem precariam esse, quod precibus Domini de Peer, seu ad illius preces verosimile sit eam primum concessam fuisse, indeque nomen sequenti etiam tempore retinuisse, *Ancharan. in c. Ex parte nu. 6. de censib.* Atque ita multa hic concurrunt, quæ nominis proprietatem confundunt, & præsertim rei veritas, substantia, & usus. Quæ non parum etiam corroborantur ex ijs literis, quæ nomine communitatis distinctis temporibus ad Actorem scriptæ sunt, tunc cum revoluto septennio instaret exactiōnis solutio; in quibus verba sic ad deprecationem solven-*

solvendique aliquam dilationem composita sunt, ut non obscure inde constet Reos in perpetua ac continua obligatione esse, non in arbitrii sui & beneplaciti potestate. Patet id quoque ex processu ac sententia interjuratos oppidi de Peer, ac Gerardum Meuwen pridem lata, ex qua tam de antiquitate temporis, quo hæc exactio præstita est, quam de causa ejus satis constat: sic ut his attentis, nihil obstante simili exceptione dicti Arnoldi (quali etiam Rei nunc utuntur) quod Dominus de Peer subditos in suis privilegijs conservare teneretur, nisi Dominus per sententiam Scabinorum oppidi de Peer dictus Gerardus condemnatus fuerit ad contributionem in dicta exactio: ut mirum sit, cur Rei, quibus partim agentibus, partim judicantibus in dicta causa, pro subsistentia hujus exactiois tunc videbatur necessaria ad hanc præstationem obligatio, jam in hac causa contrarium sustinendo, D. Actorem fatigent; præsertim quod ex illius causæ testimonijs in hac secunda instantia exhibitis, quæ supra diximus de antiquitate hujus præstationis, evidentijs apparere. Et licet Rei hæc testimonia avertant, quasi in alia causa & inter alias personas recepta sint, Bart. in l. cum lite. D. Ind. solvi: quia tamen de eodem genere controversia sunt, & in ea Rei Actoris ac Iudicis partes respective sustinuerunt, non satis honesta videtur ea averfio: sic quod in omnem eventum ex his testimonijs & actis semiplena probatio adversus Reos constitui, eaque cum alijs conjuncta ad plenissimam ac indubitatam fidem prodelle debeat. *Id. in l. 2. u. 17. C. De eden. & ibid. late lasen. nu. 21. Sovinus in fallen. reg. 6.*

Secundi gravaminis allegatio perinde non satis probabilis est: nam quamvis in indistincta numerorum seu florenorum appellatione contineantur exiguiore, l. Nummi de leg. 3. & in obscuris minimum semper veniat, l. Semper in obscuris de reg. jur. & in obscuritate debitori potius, quam creditori faueatur, l. Veteribus de pact. in re tamen proposita nulla debet esse dubitatio, cum nulla sit obscuritas: obscuritatem enim avertit usus & mos regionis, quem si de eo constat oportet inprimis sequi, d. l. Nummi. Regula enim de sumendo eo, quod minimum est in re obscura, subsidiaria tantum est, nec ex ea ius sumitur, nisi quando non constat de eo, quod actum est, neque apparet quid verosimilius sit, nec denique quid fieri soleat, Decius in d. l. Semper in obscuris nu. 1. Iam vero satis evidenter probatum est, in oppido Perenti in usu esse florenos & monetam Brabantia, & secundum illorum valorem omnes contractus fieri, & solutiones expediri; sic quod ad Hasselenses florenos non pateat hic recursus, d. c. Ex parte & ibi Doct. Apparet id quoque ex scedulis distributionis ac collectionum hujus exactiois, quæ ad Hasselenses vel alios florenos accommodatæ nulla ratione constare possent. Deinde, quod propius huc pertinet, ex supratæctis literis ex parte Communitatis ad Actorem scriptis, clarissime constat majores Hasselensibus deberi. Ita quod in hoc articulo iustior esset Actoris querela; ob id, quod arbitri tenorem dictarum literarum sequuti ad Brabanticos florenos præcisè non

fecerint condemnationem, sed ad tertium velut quoddam genus, in quo duo cum dimidio steterit Brabantici efficiunt tres fluseros exactioales, quod à proposito utriusque partis alienum est, inter quas tantum contentio fuit de Hasselensibus & Brabanticis. Nam licet Actor hujusmodi literas exhibuerit, non tamen eas exhibuit, nisi quatenus pro intentione sua facerent, ad probandum scilicet necessitatem & obligationem hujus exactiois; ita ut, qua parte pro Reis faciunt, fidem non mereantur, quia ab ipsis scriptæ & missæ fuerunt. Exemplo l. Rationes c. De probat.

Tertium, quod pro gravamine Rei adducunt, levius est, quam in quo diu hæere debemus: nam cum Rei specificationem nullam proposuerint, neque de ea actum fuerit, sed tantum per Reos conservationis ac defensionis mentio per modum exceptionis sit obiecta, idque indefinitum; satis abunde, imò plus quam conditio actorum seu processus patiebatur, Reis per eandem sententiam prospectum est. Et cum indefinita oratione Actor condemnatur ad privilegiorum conservationem, ad omnia omnino trahenda est specificatio, cum equipollet universalis, l. Si pluribus de leg. 2. Dynus ad Rub. de reg. jur. l. b. 6. licet affirmative pronuntiata sit; cum necessariò insit, hoc est (uti Rei proponunt) Actor obligetur ad omnium privilegiorum conservationem & observationem, Bart. in d. l. Si pluribus num. 6. Ita ut hæc sententia in hac parte dici non possit incerta, obscura, aut Reis præjudicialis; sed multum clara ac favorabilis, ut qui per eam ad omnium privilegiorum observationem obligatum habent Actorem.

De Præscriptionibus.

SUMMARIVM.

Præscriptio statutaria.

1. Præscriptio biennij ex ordinatione Caroli V. adversus actionem de symbolis apud enopolis aut similes consumptis quando currere incipiat.
2. Præscriptio statutaria laicorum an constringat Iudicem Ecclesiasticum.
3. Præscriptio statutaria quibus prodesse non possit.
4. Negantis pena.

CONSILIVM CXLVI.

EX parte Danielis ab Asca Rei objicitur Guilielmo Lantheete Actori in hac lite, coram Magnifico D. Rectore, statutaria præscriptio biennij ex ordinatione Caroli V. Imperatoris, denegantis actionem de symbolis sub credito apud veditores vini vel cerevisiæ consumptis post lapsum biennij. Verum dinumeratio temporis facile avertit hanc exceptionem; ob id, quod novissimum symbolum sub credito consumptum sit de 2. mensis Junij anno 1584. lis autem inchoata sit 10. Januar. anno 1586. qua die ad plenum biennium ex dicta secunda Junij decerant fore quinque menses. Et quamvis annotata quædam symbola excedant tempus biennij, partim anno 1581. partim 1583. in creditum annotata; inde tamè præscriptioni subijci non debent, propter continuationem consumptionis sub credito in sequentibus annis, qui infra biennium sunt: ita epim